

ut.
m.
1716



H. Stückproben 00 Rom

16
VELI TATIO JURIDICA
De
UTILISSIMA ET FREQUEN-
TISSIMA

EMPTIONIS - VEN-
DITIONIS MA-
TERIA,

QVAM
Annunte SS. Triade

Consensu & adprobatione Magnifici & Amplissi-
mi in illustri Legum nutrice SALANA
Jctorum ordinis:

PRÆSIDENTE
BARTHOLOMÆO HUT-
TENŌ Gubena-Lusat.

Excutiendam præfigit
ANTONIUS à WEDELL
EQ. POMER.

Ad diem Januar.

Anno 1619.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.



V I R O

Magnifico, Nobilissimo ac Strenuo

Dn. CHRISTOPHORO

à VVEDELL Hereditario in Frenenwald/
Wschenhagen &c. Illustrissimorum Pomeraniae
Principum à Consiliis intimis, agnato suo
ætatem colendo.

*Exercitium hocce legale
Debita observantia monumentum
Grati animi documentum*

*Consecrare, offerre &
volum & debui*

ANTONIUS à WEDELL



PROOEMIUM.



Vemadmodum Zeuxis regius ^{Lips. in}
& egregius ille pictor, quando ^{monit.}
Argentini tabulam in Templo ^{exempl.}
Junonis Laciniaë dedicarent, ^{pol. c. a.}
quinq; ex omnibus elegit Nym-
phas easq; formosissimas, ut id quod in quaq;
laudatissimum esset penicillo & coloribus
redderet: ita etiam omnino nos ad legalium
capitum compositionem ad commodari o- ^{Imp. Leo}
portet, ut quarum usus aliquis sit, qui bono & ^{in Nov. 46}
dono quopiam Reipubl. navim beet, hæ ne-
cessario ferantur & honorentur: quarum ve-
ro usurpatio nullius hili & pili harum non
modo non ratio habeatur: sed & è corpore ^{Lansius}
nostro, omnium corporum elegantium ele- ^{in orat.}
gantissimo, perfectorum perfectissimo bo- ^{pro ju-}
norum optumo nobili illo justitiæ tabulario ^{rispr.}
& archivo exemptæ rejiciatur & ad Pædalios
Indos relegentur. Itaque & ego cum bono
Deo & die non de aqua pluvia arcenda, non
de glande legenda, aliisque minutiis pom-
posa verborum tonitura profundere volui:

A 2 sed

Vult. hic
num. 1.
Fernan-
dus Rebel-
lus in
tract. d.
obligat.
Instit. par.
2. lib. 9. q.
1. in princ.

sed de Emptionis - Venditionis contractu
(qui omnium circa res externas versantium
& consensu contrahentium princeps, cujus
tractatus ut frequentissimus: ita longè am-
plissimus maximeque necessarius) pro inge-
nioli mei tenuitate, doctrinæ legalis pau-
pertate, iudicii juvenilis immaturitate im-
præsentiarum differere operæ precium duxi.

THESIS I.

*Definitio autem Emptionem - Venditio-
nem [a] Contractum [b] Jurisgentium, [c]
nominatum, [d] bonæ fidei [e] solo consensu
[f] constantem, de re [g] certo pretio [h] ba-
benda.*

a] Emptionem à Græco ἐμψυ, hoc est meum dictam du-
ctamque volunt, eò quod semper id agatur in emptione, ut res
fiat mea *l. pen. §. fin. ff. d. contrah. empt. Forst. lib. 3. Disp. 18. th. 1.*
Venditionem v. q. venum do, authore Apuleio V. & M. Isteris
abjectis, id est facere ut ab eo, qui tradit, aut traditurus est, res
exeat, & veniat ad eum cui traditur. Hinc Emptor di-
citur, qui precium seu pecuniam, Venditor qui rem pro pre-
cio seu pecunia tradit *Harpr. disp. Instit. 9. th. 1. lit. a. Wesemb.*
Inst. hic in pr. Treutl. Vol. 1. disp. 28. th. 1. Contractus autem hic
nomine composito insignitur ut dicatur Emptio-Venditio ad
designandam Contractus unitatem, cum invicem se ponant &
tollant *Donell. l. 5. §. stipulatio a. d. V. O. num. 2.* Æquè ac si re-
lationem inter Emptorem & Venditorem dicerem. Sed dif-
ferunt vicissim tanquam relata à suis correlatis, ita ut aliud sit
emere aliud vendere: alius Emptor alius Venditor *l. 1. §. 1. ff. hoc
rit. tur.* aliaque actio detur Emptori, alia Venditori §. 2. *Inst. h. t.*
Cujacius

Cujacius. 9. Obs. 15. Non tamen novum est, ut Contractus etiam totus vel emptionis vel venditionis vocabulo separatim idq; per *ἐπιμαρτυρία* denotetur *Amp. Dn. Hillig. in Donell. enuncl. 15. comm. 1. lit. c. b.]* non in latiori & promiscua significatione, quâ usa est lex 12. tab. complectens vocabulo emptionis-venditionis omnem alienationem *l. 29. §. 1. ff. de stat. lib. l. 19. ibi Gothofr. lit. m. ff. d. act. empt. Treutl. d. Vol. 1. disp. 28. th. 1. Vult. num. 2. Bronch. cent. 2. ass. 61. Henon. disp. 16. th. 1.* Sed in stricta prout consideratur Contractus certus & à reliquis contractibus naturâ & substantiâ distinctus *Vult. ad pr. tit. Inst. d. empt. & vend. n. 5.* Et olim quidem antequam in usu nummus esset, Emptio-Venditio peculiare nomen non habebat, sed permutatione homines utebantur *l. 1. ff. de contrah. empt.* Postea rebus humanis hoc flagitantibus inventus est nummus, & singularis quædam Contractuum species Emptio-Venditio constituta, quæ à permutatione multis differt modis. In illa enim precium certum intervenire necessum est, ut infra th. 4. demonstrabo, in hac non item *l. 1. §. 1. ff. d. prescript. verb.* In illa precium & merx sunt diversum quid: in hac verò idem sunt *d. l. 1. Treutl. d. disp. 28. th. 1. lit. d. c.] Gen. 17. v. 23. Jeremia 32. v. 10. cum seqq. l. 1. §. 2. ff. hoc tit. l. 5. ff. d. 7. & 7. l. 7. §. 1. ff. d. pact.* Hinc dilucidè patet, eorum distinctionis clypeum non esse arripiendum, sed penitus rejiciendum, qui quoad æquitatem tantum hunc Contractum Jurisgentium, quoad introductionem juris civilis adferere non erubescunt, prout vult *gl. in l. eas obligationes 8. in verb. d. dote ff. d. capit. diminut. Mud. ad l. 1. num. 6. ff. d. contrah. empt.* existimantes precium à jure civ. accessisse. Itaq; nec Princeps pro lubitu hunc contractum tollere poterit, prout tradit *Mozz. d. Empt. Vend. col. 1. num. 25. Pinell. ad l. 2. C. d. rescind. vend. num. 31. d.]* Quia jure & naturâ suâ nomen habet proprium propriamque formam, qua differt à cæteris omnibus Contractibus *l. 1. §. item emptio in fine ff. d. rerum permut. d. l. jurisgentium 7. §. 1. ff. d. pact. e] §. actionum 28. ibi Dd communiter Inst. d. act. Wes. in w. d. contrah. empt. n. 2.* in hoc enim contractu præstatum id, quod æquum & bonum videtur, & si de eo inter contrahentes expressè non sit dictum nec

B.

C.

D.

E.

A 3

cogita-

cogitatum l. 2. in fine l. 5. ff. d. O. & A. l. 1. §. 1. ff. d. act. empt. Schneidw. §. fin. Inst. d. Obl. num. 17. f.] l. fin. in fine. ff. d. Contrab. empt. l. 2. ff. d. O. & A. §. 3. Inst. hoc tit. tot. Inst. d. Obl. qua ex consens. Et hac ratione à reliquis contrahentibus, qui solo consensu perfici nequeunt, ut: mutuum, depositum &c. fecernitur. Quamvis autem omnibus contractibus hoc sit commune ut contrahentes inter se consentiant, adeo ut nullus sit contractus, nulla obligatio, quæ non habeat in se conventionem quomodocunq; etiam contractus ineatur l. 1. §. 1. ff. d. pact. tamen in juris nostri horto non est rarissimum, sed usitatissimum, ut, quod generis est, ad commodetur speciei κατ' ἐξοχήν sive per excellentiam Vult. Inst. d. Obl. qua ex Cons. num. 2. g] nulla enim Emptio, nulla Venditio sine re quæ veniat, potest intelligi d. l. nec emptio §. d. contrab. empt. Exsertè sine re dico, prout res à precio pecuniario distinguitur dominiumque importat: Quæ particulâ excluditur cambium, quo pecunia pro pecunia cambi solet, multisque ab hoc contractu parasangis differt Pinell. ad d. l. 2. Part. 1. rubr. c. 3. num. 15. Deinde etiam contractus locationis & conductionis item contractus Emphyteuticus ubi non ipsius rei dominium, sed tantum usus eius pro certo aliquo precio vel pensione annua æstimationem rei nullatenus adæquante conceditur Dn. Matthe. Coldeba disp. 6. th. 2. lit. g. Colleg. Contr. b] in hoc enim contractu premium ut interveniat, necesse est alias subsistere nequit, in fine pr. Inst. hoc tit. l. 2. ff. d. contrab. empt. l. 9. C. hoc tit. de quibus singulis infra latius dicetur.

II.

Hinc ad perfectionem [a] contractus Emptionis - Venditionis necessario tria substantialia requiri luce meridiana lucidius constat: quorum primum ab utraq; parte est consensus [b] isq; non coactus sed spontaneus [c] non simulatus sed verus ac perspicuus (d) esse debet.

a] Hujus

¶ Hujus contractus perfectio dupliciter consideratur, aut quoad executionem facti, quoties dominium rei traditur & precium solvitur de qua hic non agitur: aut quoad vim obligandi quod accidit, quando ab Emptione-Venditione contractantes jam discedere aut novas condiciones adungere non possunt, sed ex ea confurgit obligatio rem tradendi, si nondum sit tradita *l. sicut §. C. d. Obl. & Act.* Et de hac mihi hic sermo est *Schneid. pr. Inst. hic Fernand. rebellus tract. d. Obl. Inst. lib. 9. q. 1. sect. 2. numer. 7. b]* *l. 1. in fine & l. in venditionibus 9. ff. d. contrab. empt. l. consensu 2. d. Obl. & Act.* qui omnibus omnino in Contractibus requiritur *l. 1. §. 3. ff. d. pact.* Sed? Anne ad constituendam hujus contractus substantiam necessaria est Scriptura? Ad N. me pertrahit *l. cum instrumentis 10. l. contractus 17. C. d. fide instr.* Labilis enim est memoria hominis *l. peregre 44. ff. d. acquir. vel amitt. possess.* ea propter majoris firmitatis & facilioris probationis gratia Scriptura super contractibus fieri adsolet *l. contrahitur 4. ff. d. pignoribus l. cum te 5. C. d. transact. ibi: scriptura, qua probationem rei geste contineri solet, necessaria non est l. 4. ff. d. probat. l. 17. C. d. pact.* nisi Scriptura more aut solemnitate recepta fuerit aut partium conventionem petita *Gothofr. ad d. l. 17. C. d. pact. lit. q.* in his enim casibus illa omissa nec rationem executionis habebit, neque vim obligandi adeoque ante confectam & perfectam Scripturam uterque contrahentium scindendi & negligendi contractum, habet potestatem *Schneidw. pr. d. Empt. & Vend. num. 4. Fabian. d. monte d. Empt. & Vend. q. 5. num. 75. vers. decimo quarto quaritur Rebell. d. tract. lib. 9. q. 1. sect. 2. num. 10. & 11.* nisi quid arrharum nomine datum sit. Tunc enim sive in scriptis sive sine scriptis venditio celebrata fuerit, si emptor contractum adimplere recuset, perdit arrhas quas dedit, si venditor, arrhas duplicatas emptori restituere tenetur *pr. Inst. h. t. l. Contractus 17. C. d. fid. instr.* Arrhæ enim datio non est de substantia emptionis, quasi sine arrhis non valeat, sed sunt argumentum emptionis, ut facilius probetur *l. quod sæpe 35. ff. hoc tit. Ampli. Dn. Præceptor Foman. disp. 22. th. 9. Treutl. d. vol. 1. disp. 28. th. 8.* Dixi supra hunc contractum sine consensu subsistere non posse.

posse adeo, ut si is deficiat, ipsa quoque deficiat hujus contractus substantia *l. emptio 2. C. d. contrab. empt. Mozz d. Empt. Vendit. col. 3. num. 52.* Itaque non inconvenienter hic disquiritur: An invitus rem suam vendere cogi possit? Quod absque ulla hæsitatione regulariter negandum duco, præeunte *l. invitum 11. l. in vendentis 13. l. dudum. 14. C. de contrab. empt. id quo 11. ff. d. R. 7.* Adeo quidem ut actione injuriarum is possit conveniri, qui aliquem rem suam propriam auctoritate vendere prohibeat, *l. injuriarum 13. §. si quis me prohibet 7. ff. de injur. d. l. dudum C. d. contrab. Empt.* liquet ratio: quia consensus maximè attenditur in contractibus *per jura vulgata.* In coacto autem nullus præsumitur. Propriè enim is demum velle dicitur qui spontè pro suo arbitrio facere potest id, quod alioquin cuivis plene libero de jure facere licet. *per l. 41. C. d. transact. Philip. Matth. ad l. 4. d. R. 7. num. 1.* Adjecta à me vox **REGULARITER**: non sine rationis monumento. Quia in juris nostri Oceano casus quidam proponuntur, qui injungunt, ut quis ad res suas vendendas cogi queat, ut est: favor ultimarum voluntatum *l. et si æquo precio 66. d. leg. 1. vel communio l. Julianus 13. §. idem Celsus 17. ff. d. actione empti* vel in servos sævitia crudelitasq; dominorum *§. 2. Inst. d. his qui sunt sui l. si dominus h. r. vel publica utilitas l. 1. §. cura 11. ff. d. off. præfect. urb. l. si quis 17. ff. d. relig. & sumpt. fun. de quibus Myns. 5. Obs. 27. Schneidw. ad §. fin. Inst. hoc tit. Harpr. part. 2. disp. 9. th. 4. Treutl. d. disp. 28. th. 3. Bronch. cent. 2. Assert. 68. Tiraq. de retract. in præfat. num. 15. Harpr. d. rerum divis. in pr. num. 140. Matth. Steph. Cent. 3. q. 41.* In quibus tamen casibus necessum est, ut justum refundatur precium *l. fin. C. d. ann. argumento d. l. 12. de relig. Wes. ad d. §. ff. de his qui sunt sui.* Quamvis alii divortium faciant statuentes cogi posse venditorem, ut rem minus justo precio vendat *per l. 2. §. 2. ad L. Rhod. 2. d. jact.* Etenim ne Principi quidem ob necessitatem vel utilitatem publicam licitum est alicui suum quovis modo distrahere, nisi justo refuso precio *l. 13. §. 1. vers. nec publico nomine potest junct. vers. nisi prius solitum salarium domino præstet commun. præd.* quia hoc est Justitiæ contrarium, quæ tanto plus in Principe necessaria

saria est, quanto altior est eminentiæ suæ Celsitudo *Gail. 2. Obs.*
56. Facit quod nemo alterius causa pregravandus *c. non debet d.*
R. 7. in 6. jam verò si ob necessitatem vel utilitatem publicam
quis à re sua pelleretur, prægravaretur utique alterius, conci-
vium videlicet, causa, ut qui necessitatem publicam solus ferre
cogeretur, quam tamen ipse non commeruit *Niell. d. Feud. disp.*
2. th. 3. lit. d. Treutl. d. disp. 28. th. 3. Hæn. disp. 16. th. 3. Decius ad
l. id quod. 11. d. R. 7. num. 3. c] Consensus enim nisi sit liber
nihil agitur sicuti rescripserunt Impp. invitum comparare vel
distrahere postulantis desiderium, non continere justam cau-
sam *d. l. invitum C. d. contrah. empt. l. nec emere 16. C. d. 7. delib.*
Unde si quis vi vel dolo moveatur ut emat vel vendat, emptio-
venditio nullius est momenti *l. 1. C. d. rescind. vend. l. si fraudis 6.*
C. d. long. temp. præscript. Hinc non incommodè quæritur? u-
trum contractus bonæ fidei cui causam dedit dolus ipse jure sit
nullus? Et dolum dantem causam contractui bonæ fidei ipso
jure eū, cum annihilare: contra v. stricti juris non ita, ut com-
modiorem, ita & veriore intrepidè pronuncio *per l. causæ*
16. §. 1. ff. d. min. l. 7. ff. d. dol. mal. l. 56. §. 1. h. t. l. 3. §. fin. ff. pro soc. &
l. si quis 36. ff. d. V. O. ubi contractus stricti juris, cui dolus cau-
sam dedit, mero jure subsistit. Ex quo consequitur aliud in bo-
næ fidei contractibus dicendum esse: aliàs inter hos nulla esset
differentia. *Vid. Ampl. Dn. Preceptor Arum. Exerc. 14. th. 6. &*
disp. 1. them. 3. ad l. 2. C. d. R. V. Gail 2. Obs. 2. num. 6 Vult. §. fin. num.
26. Inst. d. Obl. Treutl. d. disp. 28. th. 2. Gad. d. contrah. stipulat. C. 3.
conclus. 7. num. 114. & seqq. Atque dicitur licitum esse in precio
emptionis contrahentibus naturaliter se circumvenire *d. l. in*
causæ 16. §. item Pomponius ff. d. min. l. item si 22. §. fin. ff. locati.
Resp. Hæc læsio aut circumventio eousq; extendenda non est,
quasi fraudare & decipere aliquem Jctus permittat: Sed eam
tantum deceptionem intelligit, quæ citra fraudulentum con-
trahentium consilium re ipsa & injuria contrahentium con-
tingit: modò ista læsio non sit ultra dimidium justii pretii. Hæc
enim quoniam enormis atq; emensa, remedio aliquo læso suc-
curritur, quo ad rescissionem contractus vel supplementum,
pretii agere potest, *l. 2. l. si voluntate. §. C. de R. V.* Precium

B

tamen

tamen quod contrahentibus placuit, semper præsumitur iustum, *Bl. in l. per diversas. q. 4. C. mand.* Unde qui vult rescindere contractum, ob injustitiam & læsionem eam probare tenetur, *l. si circumscripta. 6. C. sol. matr.* Sed utrum remedium *d. l. 2.* emptori quoque competat, non usque quoque expeditum est? in affirmantium sententiam ire non dubito: Quia quotiens ratio generalis legis est, totiens lex ipsa generalis, cum dispositio legis, quantumvis ad certas personas adcommo- datæ ex generalitate rationis extensionem admittat, jam verò ratio *d. l. 2.* generalis est, & non magis ad venditorem, quam emptorem pertinere videtur. Quæ autem ratio? Læsio. Non enim venditori *d. l.* remedium competit, quia venditor est, sed quia læsus est. E. Immo major humanitatis & æquitatis ratio esse videtur in emptore, quam in venditore. Nam venditor ita enormiter deceptus præsumitur habere notitiam valoris rei suæ, *l. quisquis. 15. C. de R. V.* Habet quod sibi imputet, cur tam levi precio res suas distraxerit, emptori verò nihil tale adscribi potest, quia non scientia, sed ignorantia in reb. alienis præsumitur, *l. ult. in fin. ff. pro suo. Fach. lib. 2. contr. c. 16. Myns. cent. 4. obs. 73. 2.* Quia quicquid in uno ex correlativis dispositum est, & in alio dispositum, ut habet Logicor. axioma 3. *per l. 1. C. de Cupress. ex luc. Daph.* Ubi pœna quæ obtinet in emptore, extenditur etiã ad venditorem, quod si in pœnis obtinet; multò magis in beneficiis, *El. Rober. disp. 17. coron. Covar. lib. 2. var. resol. cap. 3. Dis. Phil. Matth. ad l. 68. n. 34. & seqq. de R. 7.* Quid multis? De *d. l. 2.* nobilissima, ejusque decisione celebratissima, & usu forensi frequentissima videatur ad *d. l. 1.* Justus Hispanus, Arius, Pinellus & Amplius Dn. Præceptor Arum. 4. disputationibus luculentissimè & nervosissimè, ut solet, omnia *h. l.* explicans. (*d*) Nam si obscurus, etiamsi initio contrahatur, tamen interpretatio ferè sit contra venditorem, ratio in promptu est eminentissima, quia contra eum interpretatio facienda est, qui potuit legem dicere apertius contractui, *l. 172. d. R. 7.* Atqui in venditoris potestate est legem, qualemcunque venditioni rei suæ dicere, *l. ult. C. de pact. Hoen. d. disput. 16. th. 3. Bronch. cent. 1. ass. 32. Pac. cent. 2. quest. 7.* Error etiam aut dissensus, si ab alterutra parte circa genus contractus, vel cau-

causam contrahendi intervenerit, p. si alter rem recipiat, q. emptam, alter animo donandi tradat, emptio venditio non est, per l. si ego. 18. de reb. cred. l. in venditionibus. 9. ibi: si in ipsa emptione ff. de contrab. empt. Consensui enim nihil tam contrarium, quam error & dissensus, l. si consensus. de R. J. l. si per errorem. 15. ff. de jurid. omn. jud. Quæritur hinc an error in materia vitiet emptionem, licet in corpore contrahentes consentiant? Quod ego adfirmandum duco per l. 41. §. 1. l. 14. in fin. l. 9. in fin. b. t. modo prius duo illi casus, qui ab interpretibus notati sunt, excipiantur. Vultej. b. t. n. 19.

III.

Secundum Emptionis - Venditionis contractus substantiale requisitum est res. (a) Hæc enim deficiente, contractum etiam deficere manifestarium est.

a] l. nec emptio. 8. ff. de contrab. empt. Mozz. de empt. vend. column. 3. n. 3. Et non solum res presentes, & quæ in rerum natura sunt, sed etiam futuræ. Unde Emptio-Venditio fructuum & partus futuri valet, d. l. nec emptio. Et quidem si post factam venditionem emptor illud egerit, ne fructus nascantur, ad Interesse emptori tenetur, d. l. nec emptio. Si autem venditor non impedierit, quo minus nascantur fructus venditi, ad præcii restitutionem non tenetur, teste Salyceto ad d. l. nec emptio. argumento illius l. Spei quoque emptionem valere indubitati juris est, veluti cum captus piscium, vel avium, vel missilium emitur, d. l. nec. emptio. §. 1. & l. emptorem. §. fin. & l. si jactum. ff. de act. empti. Hoc loco commodè excutienda venit quæstio: An vendit à gallinâ, ove, vacca, vel equâ, veniat etiam partus, vel pullus jam exclusus? Quod dum partus iste adhuc lactatur à matre, adfirmat Gomez lib. 2. var. resolut. t. t. de empt. & vend. n. 14. l. si ut certo. §. usq. adeo. ibi: Br. ff. commod. & l. eum, qui. §. non solum ff. de furt. l. sed addes. §. si quis. ff. locati. Verius tamen hoc negare posse puto, cum Mindano de process. lib. 3. cap. 21. n. 29. per textum. l. legatis. 65. §. fin. & l. servis. §. 1. §. ovibus. d. leg. 3. arg. l. at si ancilla.

cilla. 3. de pecul. leg. At si partus adhuc in utero matris geritur, tunc venditâ matre, venit etiam partus, utpote cujus viscerum est portio *l. 1. §. 1. d. insp. vent.* Num autem vendito equo vendita quoq; intelligatur sella, ephyppium, & capistrum, questio est cotidiana? Quod adfirmo, si scil. vendendi gratia ita intructus & ornatus sit equus emptoriq; monstratus per *l. adiles. 38. in pr. ff. de adilit. edict. t. t. de instr. vel instr. legat. Mindan. de process. lib. 3. cap. 20 n. 24. & 25. Mozz. de empt. & vend. col. 4. n. 48.* nisi vel conventio contrahentium, vel consuetudo loci contrarium suadeat *Gomez. var. resolut. 2. n. 15.* De consuetudine tamen famulos venditorum aliquod honorarium petere, experientia docet. Si duob. res eadem, temporibus diversis vendita sit, uter præferendus dubium videbatur. Eum censeo præferendum, cui res primum tradita fuit, licet posterius emerit, *l. quoties. 15. C. de rei vend.* En rationem: Quia is per venditionem superveniente traditione rei non tantum adquisivit sibi jus in re, sed etiam plenum dominium: alter vero per nudam venditionem solum jus ad rem nactus fuit, ea propter ei quoq; non competit actio realis, sed tantum personalis, qua id, quod interest, ejus rem sibi tradi à venditore potest petere, *Covarr. lib. 2. var. resol. cap. 19. n. 11. Vultej. ad pr. Inst. de empt. vend. n. 76. Fachin. lib. 2. contr. cap. 33.* Quod adeo verum, etiamsi prima venditio mediante juramento facta fuisset. Juramentum enim non adfert dominium, vel jus in re, sed tantum auget peccatum venditoris, *Rebell. d. lib. 9. quest. 17. sect. 3. n. 22.* Januam hujus Theseos claudat questio illa ponderosa, variis controversiis implicata, multisq; difficultatibus intricata: *Utrum venditor præcisè rem venditam tradere emptori compelli possit? an verò interesse præstando liberetur. Prius veritati juris convenire existimo, modo venditor tradendi facultatem habeat? vis causam?* Illa hæc: Quia si liberetur venditor præstatione ejus, quod interest, ut somniant adversarii, *Fachin. lib. 2. contr. 30. Gædda. de contrab. stip. c. 9. conclus. 4. n. 65.* Sequeretur rem eandem alteri vendi posse: nam priori ex eorum sententia, satisfacit, si id, quod ejus interest, præstet. Atqui denuò citra falsi crimen vendi non potest,

test, l. qui duobus. 21. ad L. Cornel. de fals. Deinde per tex. l. ex-
 empto. 11. §. 2. ff. de act. empt. ubi Ulp. statuit, venditorem
 oportere rem ipsam præstare ceu tradere. At verbum oportet
 præcisam coactionem denotat, ut docet Grammaticorum
 Schola. Sic Justinianus in §. alii. à 2. vers. & ad exemplum
 Inst. de donat. dicit: Ad exemplum venditionis incumbere
 traditionis necessitatem donatori. At donatori necessitas tra-
 dendi rem donatam absolutè incumbit, l. si quis argentum. 35.
 §. fin. C. de donat. Denique statutum seu dispositum in uno ex
 correlatis, videtur etiam statutum seu dispositum in alio, l. fin.
 & ibi Dd. C. de indict. vid. toll. l. fin. de accept. Everb. in top. loc.
 à correl. n. 3. Sed venditori competit venditi actio ad exigen-
 dum precium, l. venditi. 6. C. de act. empti. Quidni ergò ea-
 dem actio empti concederetur emptori ad rem consequendam?
 Vid. Ampli. Dn. Præceptorem Arum. exerc. 14. thes. 2. Harpr.
 part. 2. disp. 9. thes. 8. Vultej. in pr. Inst. b. Hænon. d. d. 16. thes.
 11. Bronch. cent. 2. ass. 57. Rober. d. d. 17. coron. 2.

IV.

*Tertium deniq; ex parte eementis in hoc con-
 tractu substantiale requisitum est precium. (a)
 idq; certum (b) & determinatum (c) in pecunia
 numerata (d) eaq; non reprobâ consistens. (e)*

a] §. precium autem ibi Vult. n. 46. Inst. b. t. l. 2. §. 1. de con-
 trah. empt. hoc est, substantia emptionis consistit ex precio, ut
 loquitur Jctus Papinianus in l. pacta conventa. 72. in pr. ff. de
 contrah. empt. b] §. sed & certum Inst. b. t. l. hæc venditio. 7. §.
 1. ff. b. t. l. empti fides. 9. C. d. r. incertum enim precium, per-
 inde est atque nullum d. §. in fin. Quid ita quæso? Quia con-
 sensus debet esse perspicuus, ut thesi antecedenti demonstrat,
 cui omne opponitur ambiguum & incertum. Nihil autem
 refert, sive per se sit certum, seu aliunde certitudo ejus haberi
 queat. V. G. Quanti tu emisti, quantum in arca habeo.
 Quantum in foro publico emitur, Was Warcgang seyn wird/
 B 3 vel

vel: wie viel es immer zwischen hier und Pfingsten gelten wird.
Tales enim formulæ designant certam pecuniæ quantitatem,
l. 7. §. 1. l. 37. ff. de contrab. empt. Ampliſſ. Dn. Foman. diſp.
22. th. 8. lit. C. Hænon. d. d. 16. th. 7. Harpr. p. 2. diſp. 9. theſ. 9.
Fachin. lib. 2. contro. c. 1. Quid ſi venditio juſto precio, vmb
ein billtches fiat, anné tunc valet? Negativam profiteor & tue-
or, vectus & rectus clypeo rationis firmiſſimæ. Quænam illa?
Quia in Emptionis-Venditionis contractu, precium debere
eſſe certum ſ. traditum. Atque hoc in caſu certum non eſſe,
vel etiam talpa videt. E. nulla eſt venditio. Quid ergo? con-
tractus innominatus, *l. inſulam. ff. de præſcript. verb. Fachin.*
d. l. 2. c. 1. Hænon. d. d. th. 8. c] Quæ determinatio in arbi-
trium tertii conferri poteſt, *§. 1. h. t. l. ſin. C. de contr. empt.*
Ubitamen notandum perſonam illam debere eſſe certam,
d. §. 1. & precium etiam poſtmodum ab illa eſſe determina-
tum. Quod ſi enim arbitrari precium juſtum, neq; voluerit,
neq; potuerit, non valet iſta venditio, *d. §. 1.* utpote quæ ſub
conditione eſt celebrata, & à futuro arbitramento iſtius per-
ſonæ dependet, *d. §. ſed & certum. & l. ſin. C. de contr. Empt. l.*
ſimerces. 25. in pr. ff. locat. Quid ſi arbitratus fuerit, ſed iniquè?
Ad boni viri arbitrium res redigenda, ſi manifeſta iniquitas
precii declarata appareat, *l. 75. cum ſeqq. ff. pro ſoc. d] §. 2. h.*
t. l. 1. ff. eod. l. 9. C. eod. An uno nummo Emptio-Venditio celebra-
ri poſſit? N. votum ad Salivam meam per *l. 46. ff. locati.* Ra-
tiones in promptu firmiſſimæ. Quia numus precium non
eſt, cum numus precio apponatur, *l. ei quis ante 10. §. ſin. ff. de*
adquir. vel amitt. poſſeſſ. Deinde imaginaria venditio pro non
facta habetur, *l. 16. ff. de R. J.* imaginarium enim veritati con-
trarium, cum id in jure vocetur, quod non verè, ſed ſimulatè
& dicis cauſa fit, *l. contractus. § 4. ff. de O. vel A. l. 1. §. D vi 6.*
ff. de queſt. Jam verò imaginaria venditio, & quæ fit uno
nummo, idem ſignificant. *Conſultiſſ. Dn. Præceptor Arum.*
exerc. 14. th. 7. Quod verum, ſi res plures valeat (ut ſi fundum,
ſchyphum aureum vendere volueris) donationem hoc ſapient
non emptionem. Secus ſe res habet, ſi tanti ſolummodò res
valeat, emi namque, teſte experientia, uno nummo poſſunt
panes,

panes, poma &c. *Hackelm. disp. 9. th. 4. Haenon. disp. 16. th. 13. Mozz. col. 3. n. 22. Everh. in loc. leg. loc. à vi. n. 22. Harpr. d. p. 2. d. 9. thes. 9.* Sed si ex una parte res, ex altera res & precium simul detur, Utrum permutatio dicatur, an venditio? cum in dubio versetur i. considerandum, quid inter contrahentes actum verisimiliter, *l. 34. ff. de R. 7. l. 21. de reb. dub. l. 9. §. fin. l. 2. ff. de transact.* 2. Si id non apparet, tunc debet inspicere, quid plus valeat; an pecunia, quæ ab una parte solvitur, prævaleat rei, quæ ab eadem parte solvitur, & erit emptio, an v. prævaleat res pecuniæ, & erit permutatio, *arg. l. queritur de stat. hom. l. quicquid. §. fin. ff. de A. R. D.* Tunc enim accessio cequitur suum principale, *per jura vulg.* 3. Si id non apparet, contractus censetur innominatus, *l. 1. de estim. act. Gomez. 2. resol. 2. n. 10. Schneidw. ad §. 2. Inst. de empt. vend. n. 6. Pinell. in d. l. 2. C. de R. V. p. 2. c. 2. Haenon. d. 16. th. 14. Fach. 2. contr. 44. Ubi quinq; Dd. opiniones refert.* e] nam si vitium pecuniæ deprehenditur, vel in materia, *l. 9. ad L. Corn. de fals. l. 102. ff. de solut. vel in pondere, l. 1. C. de vet. num. pot. l. 8. C. de liber. caus. vel in forma, l. 1. ff. b. t. l. fin. C. de fals. mon.* Hisce casibus non emptionem venditionem, sed contractum innominatum celebrari mihi in dubium, *Schrad. b. t. n. 44. Pecunia enim falsa pecunia non censetur, Fac. l. 24. ff. de pign. act.*

V.

Omnes autem hunc contractum celebrare possunt, (a) nisi qui vel natura (b) vel lege (c) prohibentur.

a] *text. express. in l. dudum. 14. ibi Salycet. n. 1. C. de contrah. empt. l. si convenerit in fin. ff. de pignor. act. l. 17. §. 2. ff. de jurejur. est enim de genere permissorum, ea propter unicuique regulariter licitum, Fabian. de Monte. tract. de empt. & vend. quest. 3. pr. n. 1.* b] Ut sunt infantes, quorum in jure nullum intelligitur iudicium, adeoque nullus consensus. Etsi enim iudicium, & consensus habeant potentiâ: nondum tamen habent actu: ut nimirum iudicium & consensus in actum deducant.

2
eant. Infans autem est, qui minor septem annis est, *l. 18. C. de jur. delib. Furiosi, l. emptionem. 2. C. de contrab. empt. §. sed & mente captis. Inst. de curat. l. furiosi. 40. de R. 7.* Si tamen dilucida habet intervalla, tunc tempore intermissionis hunc contractum celebrare potest, *d. l. 2. neq; per supervenientem furorrem irritari, per l. furiosum. 9. C. qui test. fac. poss. modò iste contractus ex omni parte sit perfectus, Salycet. add. l. 2. n. 1.* Prodigus, *l. is cui, de V. O. h. e. ille, qui neq; tempus, neque finem expensarum habet, sed dilapidando patrimonium confumit & diffundit, l. 1. ff. de curat. fur.* Prodigum enim nullus est sensus aut consensus, *l. mutum. §. primum. ff. de acquir. hered. & æquiparatur furioso, quia ut huic sana mens, ita illi sani mores defunt. Neque cum juramento validatur venditio. Juramentum enim non confirmat actum, ipso jure nullum: & quod lege fieri prohibetur, si fuerit præstitum, non solùm inutile, sed etiam pro infecto habendum, l. 5. in fin. l. d. ll. v. Helfr. Ulric. Hunn. lib. 2. c. 1. de aut. & interpr.* Juris sicut nec juramentum contra bonos mores est obligatorium, *C. juramento. d. R. 7. in 6.* Cum non debeat esse vinculum iniquitatis, sed tres habere comites, veritatem, judicium & justitiam, *v. & jurabant. 22. quest. 2. c. ut pater & filius, leg. 2. hoc tit.* Sed de rebus Castrensibus *d. l. 2. vel quasi Castrensibus potest, in illis n. vice patrum fungitur, l. 2. ad SC. Maced.* Disquirunt h. l. justitiæ Sacerdotes: An emptio pecunii adventitii, cujus ususfructus patri non acquiritur, inter patrem & filium constitui possit. Affirmantium verior videtur, *Fabiano de Monte. quest. 3. n. 3. cujus judicio adhæreo motus, imò permotus, l. fin. C. de bon. qua lib. §. 1. Inst. per quas person. Treutl. d. vers. 1. disp. 28. th. 3.* Tutor & pupillus, *l. si in emptione. 34. §. fin. hoc tit. l. 5. §. 2. de aut. tut.* Ratio est summa fraudis, suspicio, quàm leges in eo contractu præsumunt, nisi palàm & bona fide ista emptio facta sit, *l. cum ipse. 5. C. de contrab. empt. Pac. cent. 8. quest. 5.* Quod si tamen antequam quis tutor fieret, rem emerit, quæ pupilli est, is rem emptam etiam post tutelam acceptam sibi tradere potest, *l. fistulas. 18. §. 1. ff. eod.* Idem dicendum de Curatoribus, Procuratoribus, & qui negotia aliqua gerunt, *d. l. si in emptione. §. fin. l. qui officii. 62. l. non luet*

luet. 46. eod. Secus si fecerint, nō tantū rem emptam nō amittent, sed etiam in quadruplum mulctabuntur, *d. l. 46. Schneid. §. fin. n. 5. h. t. Mozz. d. loc. n. 8.* Ambigunt Dd. An frater vendens rem communem suam, & alterius fratris, altero præsente & tacente ei præjudicare possit, ut venditioni stare teneatur? Negantium artes & partes propugnabo propter textum, *l. quotiens. 11. C. de fideicommiss. l. Cajus ibi Bus. de pign. act. l. cum pater. 77. §. libertus. 27. d. leg. 2. Fab. de Monte. d. tr. q. 3. pr. n. 58.* Collusores quoq; in ipso ludendi actu hunc contractum ob prohibitionem juris celebrare nequeunt, *l. 2. §. 1. quar. rer. act. non dat.* quamvis extraneus à collusore emere non prohibeatur. Dic rationem diversitatis inquires: dicam? extraneus solvit precium, & non statim dat consumpturo, cum possibile sit ut vincat, *d. §. 1. quar. rer. act. non dat.* Quod nō præsumitur in eo, qui colludit, cum propter necessitatem & jacturam, quam facit, cum collusore præsumatur vendere. Ex quo consequitur, quod neq; possit emi ab eo, qui statim pretium est consumpturus, ut est ille, cui bonis interdictum, *ut supra dictum.* Deniq; venditio inter medicum & ægrotum morbi tempore contracta, nullius est ponderis, *l. si medicus. 3. ff. de extraord. cong. l. archiatri. 9. C. de profess. & med.* Cur quæso? Quia contractus ejusmodi videtur ex metu quodam ortus esse *arg. l. 3. 5. & simil. ff. quod metus causa,* quem approbare contra bonos mores est, *l. 116. ff. de R. J. Alciat. 2. parerg. 39. Treutl. d. d. 28. th. 3.*

VI.

Deinde possunt res omnes, quas quis potest habere vel possidere. (a) Si verò res aliqua vel natura (b) vel jure gentium, vel moribus (c) civitatis ex commercio exempta ejus venditio nulla est.

a] five sint res mobiles, five immobiles, five corporales, five incorporales, *l. si in emptione. 34. §. 1. h. t. ut hereditas, l. 7. & per totum. d. hered. vel act. vend.* dummodò sit hereditas defuncti, cum viventis & certi hominis nulla sit hereditas, *l. 1.*

C

d. t. &

*d. t. & turpe ac improbum de bonis adhuc viventis prænatu-
ra suspecta cogitatione quippiam disponere, l. fin. C. de pact.
Imò privatur ejus successione ille, qui vendit hereditatem vi-
ventis, l. 2. de his quib. ut indign. Servitus, l. si quis autem. que
duct. 47. h. t. l. arboribus. 12. §. usufructuarius. 2. l. non utitur.
38. ff. de usufr. Neque refert, utrum res illa, quæ venditur, sit
propria ipsius venditis, an aliena? Rei enim alienæ venditio,
non quidem in præjudicium domini rei, l. nemo. 6. ff. de rebus
alien. Sed tamen ipsius vendentis præjudicium valet. Nam
obligatur hic ex empto non secus, ac si rem propriam vendi-
disset, l. rem alienam. 28. h. t. & de evictione tenetur, l. si fun-
dum. 27. C. de evict. modò res aliena non sit furtiva. Rei enim
furtivæ Emptio-Venditio non valet, d. l. 34. §. 3. l. 6. C. de furt.
Et tenetur emptor rem ipsam furtivam sine restitutione precii
reddere, aut si ea consumpta tenetur domino verò refundere
æstimationem, l. incivilem. 2. C. de furt. Fach. l. 2. contr. c. 40.
b] d. l. si in emptione. 34. §. 1. h. t. Hinc re, quæ nullius sunt,
nec ullius esse possunt, vendi nequeunt: ut sunt liber hōo. l. 6. d.
l. 34. h. t. exceptis duobus casibus, d. quib. D. Christian. Radew.
d. 3. th. 7. can. 1. coll. cont. loca sacra, religiosa, res sacra, reli-
giosa, §. ult. Inst. h. t. d. l. si in emptione. 34. §. liberum hominem.
2. Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est, §. 7. Inst.
d. R. D. Ita quævis res Ecclesiastica, l. jubemus. C. de SS. Eccles.
nisi fiat inter ignorantes, aut saltem emptore ignorante, l. &
liti. 4. duab. cum seqq. l. ad sacra. 73. d. t. quo casu emptio va-
let, quoad obligationem & præstationem ejus, quod interest,
d. §. fin. Inst. h. t. Ampliſſ. Dn. Præceptor Foman. disp. 22. theſ.
8. lit. B. Vultej. h. 35. v. Mozz. c. d. reb. quæ emi. c. 25. & seqq.
c] ut sunt: res litigiosa, l. 1. §. 1. de litis. l. 1. §. fin. quæ res pign.
l. fin. & A. nunc si heres. C. de litis. Res propria, l. cum res. C. b.
t. l. rei sue eodem. Quod enim semel meum est, ampliùs meum
fieri non potest, Mozz. d. c. n. 15. Res Emphyteutica. Si enim
Emphyteuta inconsulto domino vendiderit Emphyteusim,
redit ipsum jus ad dominum, & Emphyteusis finitur, l. fin. C.
d. 7. emphyt. Res fundales, per c. un. d. prohib. feud. alien. Ro-
sent. b. c. 9. concl. 2. cum seqq. Bronch. c. 2. n. 32. & seqq. d. FF.
Adcò*

Adeò quidem, ut si venditum sit feudum, dominus illud revocare possit, emptori tamen b. fidei rectè actionem dari contra venditorem ad repetitionem pretii dati extra dubitationis aleam positum habeo, propter l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. propterea emptio veneni mali, quod nullo modo adjectione materiae alterius nobis usus esse potest, l. quod saepe 35. §. veneni. 2. h. t.

VII.

Adjuncta hujus contractus sunt addictio in diem. (a) lex commissoria (b) pactum de retrovendendo. (c)

a] Quæ est pactio, quâ res eâ lege venditur, ut nisi intra determinatum diem aliquis meliorem fecerit conditionem, venditoris res demum inempta sit, l. 1. §. t. t. d. in diem. add. Meliorem autem conditionem adferri videtur, si vel precio aliquid sit additum, aut pretii addatur solutio maturior & faciliior, aut locus oportunior, aut accedat persona idoneior, l. 4. 5. 6. d. in diem add. Porro traditor necesse habet meliorem conditionem allatam priorem emptorem certiorum facere, ut si quod alius adjecit, ipse quoque adjicere possit, l. necesse. 8. d. t. Etsi quidem hoc est, ut meliorem conditionem allatam, ab emptione discedatur, erit pura emptio, quæ sub conditione resolvitur. Sin autem hoc actum est, vel perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur: erit emptio conditionalis, l. 2. d. in diem. add. Wes. h. n. 3. Sed intricata & frequentata est quæstio? *An periculum rei vendite ante traditionem factam pertineat ad emptorem?* Aff. probo per text. expr. §. cum autem. 3. Inst. hic. l. 7. 8. §. 11. d. peric. & com. rei. vend. l. 173. §. 2. l. 155. d. R. J. cum ad emptorem pertineat commodum, l. 7. de peric. & comm. rei. vend. Quidni ergo sustineret quoque incommodum, Vasq. Illustr. contr. 18. n. 23. Ampliss. Dn. Præceptor Arum. exerc. 14. thes. 3. Foman. d. d. 22. th. III. Donell. lib. 13. comm. c. 4. Forst. p. 1. d. 18. thes. 5. Pac. cent 5. quæst. 8. Hænon. d. 16. thes. 15. §. d. 3. ad d. l. 10. de R. J. quod ita exaudiendum: nisi mora & culpa venditoris intervernerit, Crisp. in not. ad d. §. lit. G. b] quod est pactum, quo

C 2

cavetur,

cavetur, ut nisi intra certum & præscriptum tempus pretium exsolvatur, res inempta sit, *l. si fundus. 4. in pr. d. leg. comm. l. si hominem. 19. de usurp. & usuc.* Pactum hoc ideo lex dicitur, quia pacta sunt leges contractuum, *l. 1. §. si conveniat. 6. de pos. l. contractus. 23. de R. J.* Commissoria ideo vocatur, quia nisi solutio ad diem præstitutam fiat, propter moram & commissum res habetur pro inempta venditorq; eam repetere potest, etiam emptor non interpellatus fuerit, *d. l. si fundus in fin. d. contr. empt.* Dies enim intepellat pro homine, *l. magnam. C. de contr. empt.* nisi emptor justas causas probare possit, quibus impeditus sit in explicanda ad diem solutione, prohibitum, verò hoc pactum in pignoribus, *l. fin. C. de pact. pign. v. Hunn. lib. 3. resol. tr. 7. p. 1. q. 5.* An autem venditor huic suo juri post diem elapsum renunciare possit? Aff. mihi placet responsum. Quilibet enim potest favori pro se introducto renunciare, *l. pen. C. d. pact.* Atqui pactio legis commissoriæ in venditoris commodum & favorem introducta est, *l. 2. 3. b. t.* Et sic ipsi adhuc licitum erit elapso die vel precium petere, vel commissoriam exercere, altera tamen via electa ad alteram reverti non potest, *d. l. si fundus. §. 2. Wes. in w. d. l. comm. c]* Quando res ita distrahitur, ut vel ipsi venditori, vel suis heredibus, seu intra certa tempora seu quodocunq; voluerint res vendita ablato pretio restituatur, *l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.* Et dominium nihilominus in emptorem transfertur, etsi hoc pactum adjectum sit, *Mynsing. cent. 6. obs. 10. Treutl. v. 1. d. 18. 1 bes. 8.* Sed an tali pacto retrovenditionis, quod fit adjecta, vocula QUANDOCUNQUE, spatium triginta annorum possit præscribi, controversi juris est? Negantibus ad stipulor. Vis rationes? cape: quia anima præscriptionis est bona fides, qua absente & illa exspirat, *c. quoniam. ult. extr. d. præscr.* Atqui emptor, qui revendere promisit, semper & quodocunq; est in mala fide constitutus, suæ enim promissionis & obligationis est conscius. 2. Quia rebus meræ facultatis præscribi non potest, *l. 2. d. via publ. Gail. 2. obs. 18. n. 4.* Atqui jus offerendi precium ad rem venditam redimendam videtur esse res meræ facultatis, quia est in mero venditoris arbitrio positum.

Deniq;

Denique verba SEMPER, QUANDOCUNQUE, IN PERPETUUM, & si-
milia designant temporis infinitatem, *l. si ita stipulatus. 55. ff.
de fidejuss.* E. si talis infinitas placuit contrahentibus merito
pactum est servandum, & in perpetuum non obstante trigin-
ta annorum præscriptione, competit venditori jus redimendi,
*Gail. d. lib. 2. obs. 2. n. 4. Myns. cent. 1. obs. 16. & 6. obs. 70. n. 1.
Eachin. lib. 2. contr. c. 13. Henon. d. 6. thes. 14.*

VIII.

*Effectus hujus contractus est actio empti (a)
& actio venditi. (b)*

a] Quæ datur emptori, vel ejus heredibus contra ven-
ditorem vel heredes, ut possessionem vacuam rei venditæ,
cùm omnibus accessionibus & fructibus à tempore contractus
perceptis, etsi in mora tradendi fueris, percipiendis tradant,
l. 2. 3. §. 1. l. exempto. 11. §. 2. & passim. d. act. empt. & vend. An-
tequam autem hæc actio emptori competat, necessum est, ut
prius totum precium vel solverit vel obtulerit, *l. Julianus. S.
offerri. ff. de act. empti.* b] Quæ venditori adversus emptorem
ad consequendum pretium tribuitur. Imò si emptor in mora
fuerit, solvendi vel offerendi pretium, sive totum, sive ejus,
partem etiam usuras secundum pretii soluti proportio-
nem hac actione petere potest, *l. fin. ff. de
peric. & com. rei vend.*

Soli Deo gloria.

C 3 AD



Nobilissimo, Politissimo
ac Literatissimo Dn. Respondenti, amico
suo oculissimo, contubernali exopta-
tissimo.

Quod tulit à Musio responsum Servius olim,
Quòd sit nobilibus sacri ignorantia juris
Turpis, id haud timeas, tibi ne forsan detur olim,
ANTONI, nam vix spacium revolubilis anni
Sol fuit emensus, quo te præclara litare,
Diva Justitia magno conamine Jena,
Deq; illis rebus, queis hic te publica juris
Cura Professorum, nec non solertia docti
Privata HUTTENI proprio conjuncta labori
Gnaviter erudit, claro moderante RIEMERO
Discursu placido doctam exercere palestram,
Magnificiq; theses FOMANNI evolvere, vidit:
Et jam majori quoq; sedulitate propalas,
Legalis testem progressus sufficientem
Scilicet insignem, HUTTENO sub judice, juris
Discursum, monstrasq; vjam, qua recta cuiq;
Pro nummo pateat cuncta mutatio mercis,
Perge dices studiis tempus trivisse subinde,
Sic patriæ poteris rectè inservire sacratis
Legibus armatus validis decoratus & armis,
Sic Astra magis pariet tibi Nobile nomen,

Deproperabat

Joachimus Detlai à Borcke Eq. Pom.

Mate-



EIDEM.

Materias juris quæ sunt mage quotidiana
Jurisconsultus monet uberiore fovendas,
Tractatu : Cujus moniti memor, optime amice
ANTONI, dum te docta committere pugna
HUTTENO clavum moderante viriliter audes,
Non jus antiquum, sed quod jam regnet in usu,
Contractum valde celebrem, valdeq; frequentem
Seligis, ex illo placide discurrere nisus.
Gratulor ergo tuis illis conatibus, atq;
Collaudo cæptum, quod si bene continuabis,
Sat solida Legum te cognitione beabit
Divæ Themis, nomenq; tuum super athera tollet.

Gratulabundus accinebat

Franciscus à Palen. Nob. Pom.

F I N I S.




14 WA 1636

ULB Halle

3

006 817 327







16
URIDICA

FREQUEN-

S- VEN-
S MA-

A,
M
Triade

Magnifici & Amplissi-
trice SALANA
dinis:

ENTE
MÆO HUT-
na-Lusat.

præfigit
WEDELL
MER.
Januar.
19.

N Æ
EINMANNI,